



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. I.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

## NUMERUS DUODECIMUS.

*Sicut dissensio Principum Christianorum, fuit huc usque Imperii Turcici firmamentum: sic stabilito nunc fœdere inter potentissimos Reges, de felici Belli Sacri exitu, optimè sperandum; si omnes piissimos Innocentii XI. conatus promovere satagant.*

## §. I.

rtissimum est, ut tristissimâ, tot sæculorum experienciâ, nimis constat, omnem in debellando huc usque Turcâ difficultatem, ortam ex divisione, & dissensione Principum Christianorum. Adeoque Reipublicæ Christianæ languorem, tum prodiisse, & se prodidisse, cum Monarchia transit in Polyarchiam: sicut ex adverso Turcarum robur emicuit; cum Polyarchiam Ottomanus in Monarchiam transtulit. Quocirca magnus Turcarum Imperator,



cum sit Monarcha singulis Regibus po-  
 tentior, à Christianis non potest vin-  
 ci, nisi ad Monarchiam redeant; &  
 Monarchiæ infideli, Monarchiam fi-  
 delem opponant. Quis porrò ad hanc,  
 inter Principes Catholicos unitatem  
 stabiliendam, conservandam, & con-  
 summandam, magis idoneus, in terris,  
 quàm Pater communis omnium Chri-  
 stianorum! unicum militantis Ecclesiæ  
 Caput: summus Christi in terris Vi-  
 carius. Cui propterea, omnes fideles,  
 jure divino caput inclinare debere,  
 dubium non est. Quin etiam summi  
 Principes & Reges Christiani, ejus  
 pedes osculantur in illius Persona  
 Christum ipsum, Regem Regum  
 venerantes. Bessarion Cardinalis, vir  
 magnæ prudentiæ assererat, Turcam  
 „ similem esse lupo, qui cum sit pili  
 „ concoloris, canes pilo discordes, vel  
 „ infinitos non metueret: paucis ve-  
 „ rò unius pili conspectis, fugam ador-  
 „ naret. Ita prorsus Christianos Prin-  
 cipes licet plurimos, & potentissimos,  
 si discordes sint non metuit: sed ridet  
 Turca: paucos verò si concordés sint,  
 reformidat, & fugit. Quin & Soly-



mannus ipse Caroli V. æmulus & antagonista, ut Ferdinando Imperatore Caroli fratre se potentiorum ostenderet, ejus Legato insultans dixit, se esse draconem unius capitis, sed multarum caudarum; Ferdinandum verò, & Christianos esse draconem multorum capitum, sed unius caudæ. Quasi diceret Christianorum Imperium est Polyarchicum, ideoque discors, & imbecille, meum verò est Monarchicum, ideoque concors & validum. Igitur in hoc Bello; voluntariè, se ipsos, suaque Deo uni trino Sacrificantes: uniant se Principes Christiani uti fecerunt eorum majores Romano Pontifici: atque istâ ratione, Monarchiam Christianam contra Mahometanam tyrannidem redintegrabunt: eamque Turcicâ longè validiorem constituent, ac mari, atque terrâ Turcam invadent, quod omninò faciendum censuit Carolus V. At ne quis fidelis vel Hæreticus ditones Principum, eo tempore quo Bellum Sacrum capessunt, quovis titulo invaderet, Eugenius III. cavet sub pœna Anathematis:



idem cavit Innocentius III. quem paulò ante citavi: caveant id ipsum Principes Christiani fœderati: fœderis enim prima conditio hæc est, ut si quis unum invadat, cæteri omnes eum quasi publicum Regis Regum Christi JESU, & Christianæ Reipublicæ hostem communem, & proditorem nefarium persequantur. Det Deus, unus, trinus, ut omnes Reges, Principes, & populi Christiani, in uno spiritu, ad pristinam primorum fidelium, quorum erat cor unum & anima una, Sanctam unionem, & Christianam Monarchiam ab uno mediatore Dei & hominum sancitam, hoc Apostolico & universali Jubilæo revertantur.

Quapropter, nunc de felici Belli Sacri exitu vix dubitandum, præsertim si uti Moyse orante, Josuë vincebat Amalec, ita & nos cum Machabæis, Numinis opem, precibus, jejuniiis, Sanctâ vitâ, dignis pœnitentiæ fructibus, bonisque operibus; assiduè nobis conciliare satagamus: quarum rerum hoc Jubilæum illicium est, imò inchoatio, & præludium. Sanè



hisce annis plures viri Religiosi, Sanctitatis, & Prophetiæ opinione celebres, prædixerunt certò instare ruina-  
nam Turcici Imperii: ac Christianos  
breui potituros Terrâ Sanctâ.

## §. II.

**F**Ac sit Deus, ut omnes & singu-  
li Christiani, maximè verò Prin-  
cipes, tanquam membra mystica  
„ illustriora, unico totius Corporis  
„ Christi Capiti visibili, sic in hoc Sa-  
„ cro Bello adhæreant; sicut decet  
„ bonos filios, optimo Patri, in om-  
„ nibus se conjungere: nullisque pri-  
„ vatis diffidiis, commodis, aut in-  
„ commodis sejungi sese aut divelli à  
„ quolibet patiantur! Certè in con-  
„ fesso est apud omnes, illum quem  
„ modò singulari suâ providentiâ Tri-  
„ nitas Divina, toti Ecclesiæ suæ,  
„ summum Pastorem dedit, & inco-  
„ lumem servat, rem Christianam,  
„ & Bellum Sacrum, contra commu-  
„ nem hostem Christianorum, & ini-  
„ micum Crucis Christi, modis omni-  
„ bus promovere: paterna ejus pie-